



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. VI. De altissima veneratione, & reverentia, quæ Deo à nobis debetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

quantò plùs , aut minùs perfecta est cognitio , unde profluunt. Quos ego propterea explicandos hìc duxi , ut lectorum quilibet eos continenter fovere , & ad ulteriorem perfectio- nis gradum provehere in animo suo studeat : rite sibi persuadens , si tenues , remissique in se fuerint , fieri non posse , quin DEI quoque notitia , & æstimatio ejusmodi sint.

## C A P U T VI.

De altissima veneratione , ac reverentia , quæ DEO à nobis debetur.

**R**everentia , qua erga quempiam af- ficimur , non aliunde originem ducit , nisi quia ille sit nobis vel insignis alicujus prærogativæ excellentiâ , vel dominationis jure , vel viribus , & nocendi potestate superior. Atque hinc ille honor existit , quo viros prosequimur sanctitatis , doctrinæque famâ inprimis conspicuos. Hinc etiam veneratio , quam suis vel Dominis famuli , vel Principibus populi exhibere cernuntur. Hinc demum communis apud omnes eorum timor , atque observantia , qui- bus



bus in proclivi esse noverint, vitam sibi, aut fortunas, quodcumque libeat, eripere. Quænam ergo una ex commemoratis tribus causis non summam à nobis, & quanta esse unquam potest, erga DEUM reverentiam, submissionemque animi exigit.

2. Exigit certè illam primitus infinita exsuperatio, qua increatum DEI esse creata quævis entia transcendit. Ad hanc porrò quàm evidentissimè perspiciendam satis cuique erit, si memori animo percurrat, & summatim sibi proponat, quæ de incomparabilibus DEI prærogativis in superiori libro retulimus: contemplando illum scilicet, tanquam *Esse* nullius causæ indigens, à qua producat, vel quidquam boni accipiat; ut ipse unica sit princeps causa, quæ omnibus, quidquid sunt, & quidquid habent, largitur: adeò necessarium, ut in illius existentia, quasi in unico suo fundamento, Metaphysica omnis essentiarum possibilitas, & primorum principiorum certitudo subsistat æternùm, ut intrà suum nunquam cœptum, nunquam desit, semperque idem *nunc*, infinitam omnem possibilitium temporum seriem absque ullis seu præteriti, seu futuri, seu prioris, seu posterioris, seu aliis fluxi nostri temporis imperfectionibus



bus colligat: adeò bonitatis plenum, imò & suprà plenum; ut præterquam quòd nullius in ea novæ accessionis sit capax, possit quoque eandem, quamdiu perdurabit æternitas, amplius semper, atque amplius sinè ulla sui diminutione in aliorum utilitatem profundere: adeò secundum perfectionem infinitum, ut, quidquid de hac exaggeratissimi, & maximi humanæ omnes, atque Angelicæ mentes concipere possunt, nihil penè sit ad illud, quod longè exaggeratius, & majus concipiendū ibi adhuc superest: adeò in ipsa hac infinitate sua simplex, ut, quamvis, quotcunque esse possunt, perfectionis species intrà se complectatur; omnes hæ tamen sinè ulla compositione, & multiplicitate, quasi unicum quid, & omnino indivisum intrà ipsum sint, imò nihil aliud, quàm essentia illius sint: adeò immensum, ut præterquam, quòd totam mundi molem se ipso implet; extra ultimas quoque illius oras ambitu nusquam circumscripto porrigatur, eam quasi minimum quoddam centrum in magnitudinis suæ medio relinquens: intellectus adeò perspicacis, & vasti, ut unico obtutu præterita, præsentia, futura, & possibilia omnia distinctissimè videat, intimèque pervadat: nec quidquam veri de ullo eorum omni-



omnium vel absolutè, vel sub conditione aliqua pronuntiari possit, quod certissimè non noverit, & quovis tempore ante oculos præfens habeat: potentiaè adeò universalis. ut manus, virésque suas usque ad nihilum extendat: neque ad alterum mundum, imò & ad mille alios mundos hoc majores ex tenebricoso, informique illo chao producendos, majori labore, atque tempore indigeat, quàm quo opus est ad volendum, ut ii revera existant: tanquam *Esse* postremò, in quo nihil desiderari queat ulterioris boni, cui nihil cogitari par possit, quod omnem modum, ac terminationem excedat, neque hujus sit, aut illius certæ speciei *esse*, sed ipsum purum, & omnimodum *esse*, per cujus communicationem cætera omnia sint, quod sunt.

3. Enim verò Ens adeò singularis naturæ, tantòque intervallò omnia supergrediens, quæ seu videre oculis, seu mente imaginari solemus, si vel rudi, obscuraque sub specie à nobis concipiatur; ad animos nostros nedum sui reverentiâ, verùm etiam horrore, & consternatione replendos valebit: multò magis, quàm percellere Daniele potuerit terribilis majestas illius Angeli, quo præfente humi se corruisse attonitum, & semianimem scri-



bit: (c. 10.) Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium, & jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Quæ reverentia, & submissio coram infinita DEI magnitudine longè adhuc altiùs in animos nostros descendet; si non contenti eum ità separatim à nobis spectare, & mirari; componere itèmpergamus cum increato illius *Esse* nostrum, nihil à se ipso habens, externæ duntaxat causæ opus, ideòque alienum veriùs dicendum, quàm nostrum: cum illius vita omnis prorsus initii, ac finis nescia, ultràque omne tam præteritum, quàm futurum tempus porrecta, & tota nihilominus intrà unum immobile *nunc*, semper præsentem; nostram heri coeptam, manendique impotem, nisi quamdiu aliena sustinetur virtute, nec non ex perpetua aliorum, aliorumque præsentium successione compositam, ac propterea nunquam eandem, nunquam totam, nunquam uno longiorem momento: cum omnino, ac semper necessaria illius existentia nostram nil habentem per se juris, ut in rerum universitate potiùs sit, quàm ut in nihilo jaceat: cum illius perfectione, humano, & Angelico quo-

vis



vis captu infinities majore, nec à simplicissimo, æternóque suo esse secundum ullam partem distincta, nostram accidentis ritu nobis superadditam, facilémque in singula momenta decedere, nec tantæ unquam magnitudinis, quin reliqua omni possibili infinities sit minor: cum illius immensitate, certa quævis spatia transiliente, quæ tamen in nullo non possibili spatio tota semper existit; nostram parvitatem vix oculis observabilem, quatuórque intrà palmos conclusam: cum illius perfectissima, nec unquam non præsentí omnium, quæ intelligi, agnoscíque possunt, scientia; nostram, paucissimas duntaxat veritates, neque has ipsas, nisi obscurè intuentem, & quàm longo cumulatam labore, tam facilem subita oblivione deleri: cum illius tandem potentia, cui maxima quævis perficere nihilo est difficilius, quàm velle; nostram imbecillitatem etiam ad pauculas eas operationes, quæ intrà virtutis suæ sphæram continentur, tam diutino tempore, tam operoso conatu, tamque multis instrumentis, & subsidiis egentem. In hujus siquidem comparationis lumine palàm perspiciemus, nos inter, ac DEUM non tam id proportionis genus reperiri, quod reperitur inter *parvum, & ma-*  
*num,*



*gnum*, putà inter atomum, & mundi universitatem, quàm illud, quod existere potest inter *nihil*, ac *totum*, inter quæ nullum potest existere.

4. Nec parvo usui ad perfectiorem ejusdem rei intelligentiam erit, si gradatione illa utentes, quam D. Ignatius Loyola in suo exercitiorum spiritualium libello proposuit, ita nobiscum ratiocinari instituamus: Quid sum ego cum Roma universa compositus: nihil certè amplius, quàm exiguissima, vixque ulli sensibilis portio. Et Roma quid est præ orbe terrarum, omnibusque in hoc existentibus provinciis, regnis, & populis? Tenuis profectò ipsa quoque, nec æstimari admodum digna tantò amplioris corporis pars. Et globus terrestris cum sua omni amplitudine quid videri potest, si cum cælo tot fulgente sideribus, tam vasta per spatia exporrecto, tamque innumeris nobilissimorum spirituum millibus habitato, in comparisonem vocetur? Minus fortè aliquid, quàm vel ego ad Romam, vel hæc ad universum orbem terrarum, & mundi tam cælestis, quàm terreni universitas, quam tandem dicenda est proportionem habere cum suo increato Effectore? Incomparabiliter sanè minorem; quàm cum ea granum



num pulveris habeat. Ipsa quippe ceu molis finitæ non nisi certis vicibus tenue illud granum excedit; at quis possit certò definire, quoties excedatur ab infinita DEI magnitudine? Age jam, si ego præ Roma duntaxat instar nihili sum, longèque ad nihilum propiùs accedo cum omni genere humano collatus, multòque plus de ejusdem inanitate habere videor cum omnibus Angelis simul, atque hominibus compositus; quid esse demum queam ante infinitum DEI *Esse*, coram quo illæ omnes tantò majores parvitate mea summæ evanescent in minorem quàm exiguissimæ atomi speciem? Quid, inquam, esse ibi possum, & qualis, quantusque existimari debeo? Næ purum nihil, & vel ipso, si dici fas est, nihilo minor. His itaque comparationibus rite institutis, conceptaque inter illas quàm magnificentissima specie incomprehensibilis exsuperantiæ, qua DEUS creatum esse universum transgreditur; facillimum unicuique erit agnoscere, quàm profunda cum animi demissione coram immensæ adeò perfectionis, & magnitudinis Principe versari se oporteat. Si enim communis ubique hominum mos, ipsaque naturalis ratio præscribit, ut cuilibet decorum sublimitate inter cæteros eminenti pecu-



culiaris veneratio exhibeatur, tantòque major, quantò eminentiora sunt illius decora; quoniam nos affici reverentiæ sensu par est erga illud omnino incomparabile Ens? Quòdve illi pensitare unquam poterimus venerati-  
onis, & observantiæ tam eximium vectigal; quin longissimè infra illius meritum sit? Certè Epicurus, quanquam neque infinitam DEI perfectionem satis cognosceret; neque ullam ipsi rerum nostrarum providentiam tribueret; falsus tamen est, summum ei à nobis honorem deberi hoc solùm nomine, quòd Ens omnium præstantissimum sit, *propter eximiam ejus majestatem, singularémque naturam.* (Sen. L. 4. de Benef. c. 19.)

5. Sed multò etiam validiùs ad summam hanc venerationem impellimur, si præter jam dictam singularis illius naturæ excellentiam, plenissimum itidem dominii jus attendamus, quod super nos, creatarúmque omnem rerum universitatem obtinet. Nam ut suo loco explicavimus, nullam inter omnes seu corporeas, seu spirituales, seu rationales, seu rationis expertes substantias à vermiculo humi reptante ad supremum usque Angelum reperire fas est, quæ supremi illius Regnatoris imperio non penitè subfit. Neque hæc subje-  
ctio



Oratio ex adventitiis duntaxat, externisque provenit causis, sed tam intima, & necessaria utriusque partis respectu est; quàm & ad DEI essentiam pertinet, ut primum principium, ultimisque finis rerum omnium sit; & ad nostram, ut non nisi ab ipso, propterque ipsum creari possimus. Ex quo duplici nomine sequitur, absolutissimum illi jus convenire pro arbitratu suo utendi tam nobis, quàm omnibus, quæ ad nos spectant, nostro nimirum corpore, anima, valetudine, vita, possessionibus, & aliis quibusque seu interioribus, seu exterioribus bonis: neque ullam nobis probabilem causam suppetere de illo querendi, utcunque de nobis statuatur, & quocunque prædictorum bonorum nos spoliet. Inò præter hoc tam liberum, & universale dominium super omnes, quod vel sumus, vel possidemus, nihil minus obtinet juris supra liberum voluntatis nostræ usum: adeò ut nulla ex actionibus naturâ suâ indifferentibus sit, quàm justissimè nobis nequeat seu imperare, si velit, seu contra interdiceret: neque citra injusitiam quidquam nobis vel minimum agere, putà movere digitum, aperire oculum, verbum proferre, nisi permittente illo liceat. Apertissimè, ut dixi, colligitur hæc tam  
omni-



omnimoda illius dominatio super quodcunque ens creatum, ex duobus illis per suam ipsi essentiam convenientibus titulis; primi scilicet rerum omnium principii, atque ultimi finis: cum nemini manifestum non sit, & quàm plenam potestatem unusquisque artifex habeat utendi, prout sibi placitum fuerit, operibus à se fabrefactis, suâ nempe sculptor statuâ, vel Poëta suo carmine; & quàm naturali jure cuilibet fini debeatur, ut instrumenta propter ipsum comparata in proprios ipsius usus, quanta quanta sunt, insumantur. Si ergo Principes, Dominique mortales, qui tamen non totam sibi habent subjectam rerum universitatem, non elementa, non cælos, non Angelos, sed certam solummodo aliquam humani generis partem: neque huic ipsi ita præfunt, ut in totum illius esse, inque omnes fortunas, & actus unversos liberam, ac sui prorsus arbitrii potestatem obtineant: si ipsi, inquam, respectu hujus tam curtæ, imperfectæque dominationis suæ usque adeò observantur, ut non modò consuetas honoris, atque cultûs significationes iis præsentibus denegare nemo audeat; sed multi insuper, si qua fortè de causa eos cominus alloqui debeant; perturbentur, contremiscant, & spiritu pro-



propemodum, ac voce destituntur, præsentis illius, licet non plus quam humanæ majestatis terrore perculsi; arguat hinc quilibet, quantum honoris, reverentiæque mereatur humanâ, & creata omni altior supremi Imperatoris majestas: cui Dominum dici perinde est, ac proprio nomine ab omnibus aliis distingui, *Dominus nomen ejus* ( *Amos. c. 9.* ) cujusque inter famulos vel augustissimi quique populorum Rectores connumerantur: unde B. Joanni apparuit, *habens in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* ( *Apoc. 19.* )

6. Adde, quod præter naturæ excellentiam, & domini amplitudinem, tertium item observare in ipso est, nec prædictis sanè impar reverentiæ incitamentum, summam nimirum, maximèque formidabilem suas offensas vindicandi potentiam. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* ( *Pf. 75.* ) Cùm nemo alius in terris, cæloque existat, à cujus indignatione vel minor evadendi spes sit, vel plus possit perniciæ, & exitiorum timeri. Nam homines primò, quantamcunque vim nocendi habeant; non tamen protinus, tantæque cum facilitate eam possunt in nos exercere; quin multoties possimus jam latebrarum, jam fugæ



præsidio illius nos furori subducere. At quibusnam latebris eum frustrabimur, *in cuius conspectu nulla creatura est invisibilis?* Aut quò locorum ab eo effugiemus, intrà quem *vivimus, movemur, & sumus?* Aut quid difficultatis in sumenda de nobis ultione experietur, qui nullo non temporis puncto *habet flatum nostrum in manu sua?* Præterea, etsi hominum quispiam existeret, cuius iram nè ad temporis quidem momentum evitare nobis liceret; hæc tamen nunquam posset, ceu potest divina nostrum esse omnino delere: neque vim haberet, nisi corpus vexandi, secùs ac vindex DEI ira, cuius potestati non minùs animæ subsunt, quàm corpora. Denique quidquid mali, & cruciatùs à mortali hoste possumus pati, brevi temporis spatio concluditur: cùm neque is sævire in nos possit, nisi quamdiu in terris vivimus; & quantò violentiùs sævit, tantò celerius ceu nostræ mortali vitæ, sic suæ unà sævitæ finem imponat. At DEUS è contrario, cùm, teste Apostolo, (*Ad Rom. 14.*) *& mortuorum, & vivorum dominetur;* potest eos, quibus justè irascitur, non brevi duntaxat præsentis ævi tempore, sed per totam quoque æternitatem atrocissimis quibusque suppliciis inactare. Quis ergo non verebitur potentæ  
tam



tam terribilis Dominum? Quis absque humili metu coram illo aderit? Quis ejus indignationem provocare in suum caput audebit? Ah incredibilem hominum vecordiam, qui, cum sollicitè adeò caveant contra se irritare, à quibus vel tenui damno affici possunt; nihil deinde pensi habent cum Omnipotente adversario inimicitias suscipere: imò persæpe imbecilli, & vulgaris homunculi offendendi metu in illius offensionem, qui nunquam timeri factis potest, securo animo incurrunt. *Quis tu* (libet ità desipientes Isaiaë verbis ad sanio rem mentem revocare) *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi foenum ità arefcet, & oblitus es Domini Factoris tui, qui tetendit caelos, & fundavit terram? (c. 51.)* Imò libet iisdem repetere sapientissimum illud Christi Domini ad Apostolos monitum: *Dico autem vobis amicis meis, nè terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ità dico vobis, hunc timeate. (Luc. 12.)* Nihil enim verò pronuntiari potest sive à graviore authore, sive cum evidentiori ratione, sive majoris ad salutem momenti. *Qui habet aures audiendi, audiat. (Luc. 8.)*



7. Cùm igitur adeò quovis ex capite Deus nobis præcellat, ut nulla major exuperantia fingi animo queat; summam itidem, & quavis alia majorem nostram esse tum exteriorem, tum interiorem erga illum reverentiam par est. Et interiorem quidem exercere poterimus profundissima animi submissione, & nostri despicientia præ illo: fatentes, vilissima illius mancipia nos esse, *quia ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*: (Ps. 115.) imò lutum coram illo, nihilque instar existimari posse: *& nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum. Substantia nostra tanquam nihilum ante te.* (Isa. c. 64. Ps. 38.) neque dignos propterea nos esse, qui illi adstemus, oculosque ad augustum illius solium tollamus, nedum qui familiariter cum eo agamus, quosque ille filiorum locò habendos, imò etiam vel obiter respiciendos putet. *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei?* (L. 2. Reg. c. 9.) Quocirca, recolentes animo plùs quàm paternas apud eum nostri curas, tamque eximia charitatis flagrantissimæ pignora, quæ nobis & præstitit, & præstare usque pergit; æquum sanè erit, ut altissimâ hinc verecundiâ, & confusione animi ob beneficia nostram humilitatem adeò ex-

ce-



cedentia ; indè verò admiratione ob incredibilem tantæ majestatis erga nos indulgentiam perculsi , humiliter , sincerèque contestemur , nunquam nostra sponte nos ausuros , eum , nisi ore humi prostrato , alloqui , multoque minùs Patrem vocare , & illius amicitiam ambire , utpote quibus summi honoris locò esset , à tanto Rege vel inter postrema suæ aulæ servitia admitti : sed ea tantùm de causa , quamvis pro nostræ ignobilitatis conscientia timidos , paventèsque ad hujusmodi familiaritatem progredi , ut illi sic volenti , jubentique obtemperemus , néve ipsius tam eximiis muneribus , ea contumaciter repudiando , indigniores reddamur . Hos ergo , hísque similes reverentis erga infinitam DEI majestatem animi sensus curandum cuique est , ut sæpe , ac potissimùm quotidianæ meditationis tempore intrà se excitet : quò nimirum frequens iteratio eos languescere haud sinat , sed usque experrectos foveat , inque pectore altiùs defigat .

8. Quod porrò ad externas ejusdem reverentiæ significationes attinet , ceu assiduè sub DEI oculis degimus ; sic debitus ei præsentis honor requireret , ut talem assiduè in omni motu , gestu , & habitu corporis modestiam ,



compositionemque præ nobis ferremus, qualem coram summo Pontifice, aut Regibus terrenis præferimus. Sed quia tam continua sui observatio nimium gravis plerisque hominum videretur, multisque ideo ansam præberet dicendi cum Bethsamitis: *Quis poterit stare in conspectu Domini DEI sancti huius?* (L. 1. Reg. c. 6.) noluit DEUS eam à nobis exigere: satis habens, si ab iis duntaxat actionibus coram ipso ablineamus, quæ justissimis ipsius legibus adversantur. Quod genus obsequii adeò certè moderatum, & præstitum facile est, ut nemo, nisi impudentissimus, humanique omnis moris nescius, imò nisi furiosus, & mentis omnino expers, denegare illud audeat vel terrenis Principibus, si minùs respectu eorum majestatis; at metu saltè eorum indignationis permotus. Unde meridiana luce clariùs patet, quàm contra omnes tum honesti, tum utilitatis rationes ageret, qui venerationem tam justam, nullisque non Dynastis mortalibus exhiberi solitam, altissimo universitatis totius Rectori negaret: nìl pensi habens, supremam illius majestatem tam injurioso neglectu violare, nìlque metuens, actionibus disertè ab eo vetitis omnipotentem illius iram laceffere: quamvis certò sciat, non

mo-



modò sub ejus oculis , sed in ipsifinet ejus manibus se assiduè versari. *Tangit montes , & fumigant* , ( attonitus præ tam insanæ temeritatis admiratione exclamat Bernardus ) *& tam tremendam majestatem audet irritare vilis pulvisculus uno levi flatu mox dispergendus , & minimè recolligendus.* ( *Serm. 16. in Cant.* ) Sed , ut cæca a deò phrenesis meliùs intelligi , & ipsis quodammodo atrectari sensibus queat ; fingamus , sinistro me quopiam eventu in altissimum baratrum decidisse , unde nulla mihi suppetat meo Marte emergendi facultas : dùmque contentissimis indè clamoribus auxilium implo-ro , non neminem eò accurrere , qui , longum mihi funem demittens , eum porrò , méque unà ex eo arrepto suspensum illinc curet educere. Age jam , si , dum ille pio hujusmodi munere erga me fungitur , ego , nescio , quibus intemperiiis actus , fœdissima quæque in eum probra , & omne genus contumelias ructare instituerem ; nōne omnes de potestate mentis me exisse affirmarent ? Quid enim mortalium stolidissime hoc monstri est ? Tua vita , tuusque interitus ex illius manibus pendet , modò funem dimittat ; actum de te est : nullum superest , quo sustinearis , fulcrum : præcipiti lapsu in profundum , ossa , & caput



dura humo collisurus revolveris. Inque hoc rerum cardine irritare adversum te hominem audes, qui extremam perniciem nullo negotio, & labore tibi potest inferre? Quò concessit tua mens? quò ratio? quò tui amor, bonique & mali sensus, nè ipsis quidem brutis ignotus? Ità omnes procul dubio in hujusmodi eventu, exempli gratiâ à nobis conficto, sed nunquam cæteroqui aut viso inter homines, aut deinceps videndo sentirent, dicerentque. At nunquid non huic similem, imò & incredibiliorem hoc eventum revera in se exhibet, qui assiduè ex DEI manibus pendens, magis quàm ego ex illius auxiliatoris mei arbitrio penderem, vidensque infra se profundissimam orci voraginem, quò si semel prolabatur, acerbissima illi, & quidem perpetuò subeunda mors erit; nihil tamen veretur, contumeliosus eum factis inimicum sibi ex benevolo reddere, à quo si sustentari vel ad temporis punctum desinat in subjectum sempiternæ mortis baratrum, eodem illo temporis puncto finè ulla resurgendi spe corruet? O dementiam, cui similis nullo unquam sæculo audita est, quæque, nisi tam multorum morbus foret, incredibilis vel in uno homine posset videri.



9. Neque verò ad eam elevandam dicatur, potentiorum quidem terrenis quibusque Principibus DEUM esse ad puniendos, qui debito obsequio se fraudent; sed minùs tamen, quàm ii sint, formidabilem: eò quòd inaudita quadam lenitate potestatem suam, temperans non subitò, neque semper factas sibi injurias ulciscitur, imò earum innumeras diutissimè tolerat, & omnes statim, ac rogatus rite fuerit, condonat. Esto quippe verissimum sit, peccantium quàm plurimis dari ab eo veniam; non tamen minùs verum est, de quàm plurimis itèm ab eo sumi vindictam, & hanc fanè, ubi tandem sumitur pro atrocitate, ac diurnitate pœnarum, usque adeò perhorrescendam, ut vel incertum, remotumque illius subeundæ discrimen vehementiùs nos deberet percellere; quàm quidquid ultimorum cruciatuum infligere nobis queat laceffitus hominum furor. *Horrendum est incidere in manus DEI viventis. (Ad Hebr. 10.)* Nescit profectò, quantam in puniendo DEI Justitia vim habeat, qui, placabilem eam pluries expertus, ad rursus irritandam ejusdem successus perpetuò experiendi spe impellitur: cum è contrario justiores metuendi causas inde habeat, nè illa satis jam clementiæ à se da-



tum existimans, proprias aliquando justitiæ sibi partes resumat, diuque suspensum extremæ ultionis formidolosissimum fulmen in illius denique caput contorqueat: veluti in tot alios contorsit, quibus pluries, pluriésque antea facile veniam præbuerat. Inferorum carcer innumeris frequens est animabus, DEI bonitate, ad eum minus timendum, neque ideò, quantum par fuisset, observandum, abusus. *Quis non timebit te, ô Rex gentium? Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM, nè quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* (Jerem. c. 10. Ps. 89. & 49.)

## CAPUT VII.

Quàm excellenti modo rerum omnium amabilitatem intrà se colligat: & quàm meritò propterea amandus super omnia sit DEUS.



Amabile esse quoddam objectum, nihil aliud significat, quàm rationem aliquam illius amandi existere: ut proinde tanta, cujusq; rei amabilitas sit; quot, quantique sunt ponderis,